Quelle: http://manuscripta.at/?ID=376
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift

adductumque ad se occidit et sepelierunt eum eo quod esset filius Iosaphat qui quesierat Dominum in toto corde suo. nec erat ultra spes aliqua ut de stirpe aliquis regnaret Ochozie. Siquidem Athalia mater eius videns quod esset mortuus filius suus: surrexit et interfecit omnem stirpem regiam domus Ioram. Porro Iosabeth filia regis tulit Ioas filium Ochozie. et furata est eum de medio filiorum regis cum interficerentur: absconditque eum cum nutrice sua in cubiculo lectulorum. Iosabeth autem que absconderat eum erat filia regis Ioram. uxor Ioiade pontificis. soror Ochozie: et idcirco Athalia non interfecit eum. Fuit ergo cum eis in domo Dei absconditus sex annis. quibus regnavit Athalia super terram. XXIII.

Anno autem sexto confortatus Ioiada assumpsit centuriones. Azariam videlicet filium Ieroboam. et Ismahel filium Iohanan. Azariam quoque filium Obed. et Maasiam filium Adaie. et Elisaphat filium Zechri: et iniit cum eis consilium et fedus. Qui circumeuntes Iudam congregaverunt Levitas de cunctis urbibus Iuda. et principes familiarum Israel: veneruntque in Ierusalem. Iniit igitur omnis multitudo pactum in domo Dei cum rege. Dixitque ad eos Ioiada. Ecce filius regis regnabit sicut locutus est Dominus super filios David. Iste est ergo sermo quem facietis. tertia pars vestrum qui veniunt ad sabbatum sacerdotum et Levitarum et ianitorum erit in portis: tertia vero pars ad domum regis: et tertia in porta que appellatur Fundamenti. Omne vero reliquum vulgus sit in atriis domus Domini: nec quispiam alius ingrediatur in domum Domini nisi sacerdotes et qui ministrant de Levitis. ipsi tantummodo ingrediantur. quia sanctificati sunt: et omne reliquum vulgus observet custodias Domini. Levite autem circumdent regem. habentes singuli arma sua. et si quis alius ingressus fuerit templum. interficiatur. sintque cum rege intrante et egrediente. Fecerunt igitur Levite et universus Iuda iuxta omnia que preceperat Ioiada pontifex. et assumpserunt singuli viros qui sub se erant. et veniebant per ordinem sabbati cum his qui iam impleverant sabbatum et egressuri erant. Siquidem Ioiada pontifex non dimiserat abire turmas que sibi per singulas ebdomadas succedere consueverant. Deditque Ioiada sacerdos centurionibus lanceas. clypeosque et peltas regis David: quas consecraverat in domo Domini. constituitque omnem populum tenentium pugiones a parte templi dextra usque ad partem templi sinistram. coram altari et templo per circuitum regis. Et eduxerunt filium regis. et imposuerunt ei diadema et testimonium: dederuntque in manu eius tenendam legem: et constituerunt eum regem. Unxit quoque illum Ioiada pontifex et filii eius: imprecatique sunt atque dixerunt. Vivat rex. Quod cum audisset Athalia vocem scilicet currentium atque laudantium regem: ingressa est ad populum in templum Domini. Cumque vidisset regem stantem super gradum in introitu. et principes turmasque circa eum. omnemque quoque populum terre gaudentem atque clangentem tubis. et diversi generis organorum concinentem. vocemque laudantium: scidit vestimenta sua et ait. Insidie insidie. Egressus autem Ioiada pontifex ad centuriones et principes exercitus. dixit eis. Educite illam extra septa templi: et interficiatur foris gladio. Precepitque sacerdos. ne occideretur in domo Domini. et imposuerunt cervicibus eius manus. Cumque intrasset portam equorum regis domus: interfecerunt eam ibi. Pepigit autem Ioiada fedus inter se universumque populum et regem: ut esset populus Domini. Itaque ingressus est omnis populus domum Baal. et destruxerunt eam: et altaria ac simulacra illius confregerunt. Mathan quoque sacerdotem Baal interfecerunt ante aras. Co